

STATUTUM XX.

De Optione Habitationum et Celariorum.

Quoniam senium et prioritas in omnibus attendi et ab omnibus observari debeat; ideo etiam in optione Habitationum et Celariorum hujus inelytae Domus more et praxi aliarum Communitatum eandem prioritatem observandum esse statuimus et decernimus Habitationemque vel Celarium quomodocunque vacantem vel vacans priori ad Collegium vocatione Professori, nisi ipse noluerit et priori sua Habitatione (quam unicam tantum habere et possidere debet) contentusque fuerit, conferendam vel conferendum esse censemus. Valde enim iniquum et absurdum est, si novi antiquis minus meriti emeritis praeferuntur. (can. Statuimus. dist. 61. et can. fin. ac ibi gloss. v. Praeferre. dist. 75.)

STATUTUM XXI.

De immissione Professoris in possessionem Habitationis.

Cum traditio rei, tribuat possessionem ejusdem (c. Ex literis. de consuetud.) ideo Professor accepta in Convocatione Domus Habitatione se ad ejus possessionem et omnium ad eam spectantium per Officium Domus, vel si sit impeditum saltem per traditionem Clavium ad Habitationem acceptam spectantium, immittere petat. Clavibus enim traditis videtur tradi possessio eorum, quae sub Clavibus continentur. (l. Clavibus. ff. de Contrahen. emptio.)

STATUTUM XXII.

De conservatione et reparatione Habitationum.

Quandoquidem Habitatione ad habitandum alicui commissa et ea, quae in illa sunt (per tex. l. Si ita. §. Domo. ff. de Fundo instruct.) committi videntur; ideo Clarissimo Professori Habitatione per Convocationem Domus collata, et omnis suppellex ad Habitationem spectans collata censetur, quam Habitationem cum suppellectili per Praepositum Domus registrata et omnibus attinen-